



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

29. Junii. Quantò utilior est ferventis conversatio cum externis, si bona sit,
tantò damnosior est, si dissoluta sit. S. Ign. ap. Nolar. c. ult.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Quosdam non malos esse pura felicitas,
imò casus est, quòd in mala vel exempla,
vel occasiones nò venerint; has experti eva-
sissent pessimi. Qui non tentatur, quid scit?

Nulla speretur sinè certamine corona.
Solitudinis, & silentii nativus amor, homi-
num fuga usque adedò ad virtutem non as-
surgit, ut inter morositatis vitia potiùs
censenda veniat.

29. Junii.

*Quantò utilior est ferventis conversatio
cum exterminis, si bona sit, tantò damnosior
est, si dissoluta sit. S. Ign. ap. Nolar. c. ult.*

Solis maculæ, aut lunæ deliquia palàm
sunt omnibus; sic latè diffunditur scan-
dalum, quod venit ab eo, quem vocationis
altitudo terris altiorem evexit in sublime.

Væ homini illi, per quem venit scanda-
lum! plurimum conatus vix restituit, quod
pravum unius exemplum corrumpit. In
oculis, lingua, & manibus quisque totius
Ordinis honorem circumfert, vel dissipat.

Ab uno vulgus ducit ad omnes argu-
mentum, malà quidem dialecticâ, interim
tamen per frequentem: judicia hominum
quantò in malum proniora, tantò mayo-
rem

rem suadent cautelam iis, quos populus
omnis observat.

Sal, quo condiendus erat populus,
corrumpatur, ad quid valet? nisi, ut mitte-
tur foras. Præstat, ut unus homo, quàm to-
ta gens pereat.

30. Junii.

*Magna in proficiendo utilitas est: amicum
habuisse, cui defectuum tuorum te mon-
re sit indultum. S. Ign. in comp. vita,*

UT vultum, sic suum quisque cultum,
& mores non cernit, vel non satis gra-
cerè discernit; alio hinc opus est oculo, qui
te, qui tua in censuram vocet.

Velle semper laudari, aut credere, nihil
in se notâ, vel censurâ dignum reperiri,
grandis est arrogantia. Qui dicit, se sine
peccato esse, mendax est. Quantò paucio-
res advertis, tantò plures alis defectus,

Si de macula in vultu, de plica minùs or-
dinata in veste monitus, inter gratias repor-
nis, cur ægrè feras in iis admoneri, quæ
plùs officiant, latiùs nocent?

Plùs amat, qui, quod sequius est, monet,
quàm qui laudat. Hic adulator, ille amator
est. Bonum te vult, vult laudem te, & amo-
rem omnium promereri. Inter benefacto-
res computa, qui tui sic curam gerunt.